

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An, vel quænam sit obligatio omnes actiones ad Deum referendi?*

2<sup>o</sup> *Quid MINUTIO respondendum?*

SOLUTIO :

35. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* 1<sup>o</sup> Datur præceptum negativum prohibens ne quid ex pravo fine faciamus: 2<sup>o</sup> datur præceptum positivum jubens ut interdum, imo sæpius, ad Deum supernaturaliter cognitum et apprehensum tendamus, seu ad illum præcipuas actiones ex motivo supernaturali referamus, saltem implicite et virtualiter; 3<sup>o</sup> plures dicunt omnes omnino actiones nostras ex motivo supernaturali informari debere. Probant ex verbis Apostoli: *Omnia in gloriam Dei facite*; sed non constat esse verum præceptum, quatenus *positivum*, seu obligans singulis momentis. Potest enim dici esse præceptum proprie dictum, quatenus *negativum* tantum, seu obligans ad nihil faciendum contra gloriam Dei, ut explicat *S. Thomas*; 4<sup>o</sup> in praxi autem enixe adhortandi sunt fideles, ut singulis diebus, mane, omnes actiones suas decurrente die faciendas, Deo offerant, ut suadet *S. Lig.*

Non est igitur cur adeo angatur LUBINUS noster, et confessionem generalem instituat. Est enim homo pius, ut in casu dicitur; homines autem pii frequenter ad Deum eriguntur, officia boni christiani adimplendo. Etiam si daretur præceptum affirmativum per omnia opera ad Deum tendendi, intelligi deberet virtuali modo, ita ut saltem oblatio mane facta, nec per peccatum mortale retractata, sufficeret ad illud mandatum adimplendum. Cæterum omissiones peccata venialia non excederent. Ergo confessio generalis non est instituenda ad illas reparandas. Insuper LUBINUS noster non potuit peccare agens contra præceptum sibi ignotum.

36. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* 1<sup>o</sup> Redeat ad sanam mentem MINUTIUS, quippe qui, scrupulis obrutus, peccata ubi non sunt deprehendit; 2<sup>o</sup> sciat sibi sufficere, si ex pravo fine non agat, et actiones suas semel in die ad Deum referat; 3<sup>o</sup> errat existimando illicitum esse voluptatem naturalem et honestam intendere. Quare igitur illam Deus creaturis indidit? Id tantum prohibetur, scilicet, ne voluptas sola seu exclusive quæretur. Voluptas igitur honesta intendi potest et Deo offerri, et consequenter meritoria evadere.

*De relatione operum ad Deum fusius et clarius in Comp. n. 31 et 32.*

## CASUS DE CONSCIENTIA

*Quid de conscientia erronea, dubia, scrupulosa, et præsertim probabili; seu an, vel quomodo cum iis agere liceat?*

### CASUS I.

#### CONSCIENTIA ERRONEA 1<sup>o</sup>.

FLORINA sic confitetur: Me miseram!! 1<sup>o</sup> Semel omisi Missam die Dominica, dum gravi morbo detenta in lecto decumberem; et hoc me valde angit et cruciat; 2<sup>o</sup> ter omisi preces confraternitatis SS<sup>mi</sup> Rosarii, ex gravi negligentia; 3<sup>o</sup> semel manducavi carnes die vigiliæ, ignorans esse hac die prohibitas; de hoc valde doleo; 4<sup>o</sup> semel mendacium dixi, sed non existimavi in hoc peccare, urgebat enim gravis ratio, scilicet cognatum meum excusandi et a gravi pœna liberandi. Confessarius, injuncta pœnitentia, adjectis nonnullis piis verbis circa Dei amorem, pœnitentem absolvit, et dimittit, quin quidpiam circa confessionem animadvertat.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An, vel quomodo in his FLORINA peccaverit?*

2<sup>o</sup> *Quid Confessario fuisset agendum?*

3<sup>o</sup> *An FLORINA potuerit non solum a peccato excusari, sed etiam mereri in duobus ultimis casibus?*

SOLUTIO :

37. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* FLORINA in nullo puncto ex his peccavit, saltem *per se*. Etenim: *ad 1<sup>m</sup>*, non peccavit Missam omittendo, siquidem nunquam datur peccandi necessitas. *Ad 2<sup>m</sup>*, non peccavit, nisi forte ex conscientia erronea, quia nulla lege has preces recitare tenebatur. *Ad 3<sup>m</sup>*, peccare non potuit, prohibitionem Ecclesiæ invincibiliter ignorando. *Nihil enim volitum quin præcognitum*. *Ad 4<sup>m</sup>*, excusanda videtur a peccato mendacii propter conscientiam invincibiliter erroneam.

38. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* Quid de Confessario? — Indebite mulierem absolvit, et forte Sacramentum nullum, defectu materiæ, confecit. Debuisset sane pœnitentem de variis erroribus docere, eamque non absolutam dimittere, nisi illa vere existimaverit se peccasse præfatas preces omitendo.

39. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs. Affirmative.* Etenim si quid obstaret, esset objectum materialiter malum: atqui hoc obstare nequit; quia sufficit ad meritum ut objectum sit formaliter bonum, seu ut in conscientia tanquam

bonum apprehendatur. Nec dicas objectum in se materialiter malum opponi voluntati divinæ; nam licet opponatur voluntati divinæ primariæ, non opponitur secundariæ per quam Deus nobis aliquid præcipit, vel permittit ex suppositione ignorantiae invincibilis. Vult enim Deus ex voluntate consequenti ut homo id peragat, ad quod se credit invincibiliter obligatum. Præterea, homo certo potest demereri seu peccare agendo contra conscientiam invincibiliter erroneam; ergo potest etiam mereri agendo juxta eam. *S. Lig. n. 6, cum aliis communissime, contra Concina et alios paucos.*

## CASUS II.

## CONSCIENTIA ERRONEA 2°.

1° FERDINANDUS sæpius animo volvit desideria mala v. g. se ulciscendi ab inimico, tactus turpes faciendi, aut etiam fornicandi; nunquam tamen de his in confessione se accusavit quia credidit hos actus mere internos non esse peccata.

2° GEORGIUS, dum puer esset per plures annos habuit pollutionis consuetudinem, nec in confessione de ea egit unquam, quia ignoravit eam esse malam. Postea autem, veritate cognita, dubitat de validitate confessionum præteritarum, et de necessitate confessionis generalis.

3° GUSTAVIUS, puer decennis, tactus turpes habuit cum consobrina sua germana; de iis quidem confessus est, omissa tamen consobrinæ circumstantia, quia ignorabat peccatum inde gravius vel diversum evasisse. Adolescens autem factus, errore detecto, quærit an peccatum illud cum sua speciali circumstantia sit iterum clavibus subjiciendum?

HINC :

QUÆR. 1° An FERDINANDUS laborare potuerit conscientia invincibiliter erronea circa hujusmodi prava desideria?

2° An GEORGIUS potuerit ignorare invincibiliter malitiam pollutionis; vel quid de eo judicandum?

3° An GUSTAVIUS confessionem prædicti peccati repetere teneatur, necne?

SOLUTIO :

40. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Affirmant plures, nempe *Elbel, n. 127. — Sanchez. — Lacroix, etc.* Sed oppositum videtur omnino tenendum cum *S. Ligorio n. 9, ubi sic ait* : « Hanc opinionem nunquam probabilem censere potui. Nunquam enim intelligere valui quomodo ille qui vult « deliberate actionem exercere, qua scit Deum offendi, possit inculpabiliter credere se Deum non offendere, dum efficaciter cupit illam exsequi, « qua certe cognoscit averti a Deo. *Sed dices* : Quomodo iste peccabit « formaliter suo desiderio, si malitiam ejus ignorat? *Respondetur* : Quamvis vis detur quod ignoret malitiam illius actus interni, certo tamen « agnoscit malitiam actus externi. Si ergo vult illum exsequi jam cogni-

« tum, quomodo a peccato excusabitur? Omnes quidem ex ipso lumine « naturæ dignoscunt se teneri ab obediendum suo Creatori; quando igitur « quis deliberate vult agere id quod scit a Deo sibi vetitum, necessario « simul agnoscit quod male agit... *Instabis* : Plures rustici ideo non confidentur de his pravis desideriis, quia credunt, se tantum peccare quando « peccatum externe consummant. *Resp.* Isti potius falso decipiuntur, « credendo quod non tenentur confiteri peccata quæ non consummant. « Sed prudens Confessarius judicare debet quod, cum consenserunt in « peccatum consummandum, vere et formaliter peccaverunt, voluntate « prava se a Deo avertentes. Ex his omnibus opinionem contrariam cum « aliis doctis recentioribus parum probabilem censeo. »

41. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Res non adeo perspicua est. GEORGIUS absolute potuit versari in bona fide, saltem in principio pravæ consuetudinis. Sed difficile admittendum est quod illa bona fides diu perseveravit. Doctores dicunt dari posse ignorantiam invincibilem circa aliqua a lege naturali prohibita, sed raro et brevi tempore; facilius tamen admitti potest in pueris et in rudibus. Interrogandi sunt pœnitentes qui dicunt se malitiam pravæ actionis ignorasse, utrum saltem aliquam suspicionem de ea habuerint, num de obligatione inquirendi saltem cogitaverint. In praxi tutius est eos ad confessionem similium peccatorum inducere, quod brevi facilique negotio fieri potest. *S. Lig. n. 170. — Elbel, n. 128.*

42. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* GUSTAVIUS non tenetur iterare declarationem hujus peccati, ut circumstantiam omissam adjiciat, si tempore quo peccatum illud commisit nullam habuit suspicionem de ejus speciali malitia, ut in casu supponitur, quia peccatum fuit tantum *materialiter* diversum, non autem *formaliter*; ignorantia enim invincibilis, seu absoluta, a peccato formali incestus illum excusavit. Ergo omnem animi anxietatem abjicere debet.

## CASUS III.

## CONSCIENTIA DUBIA 1°.

FAUSTINA, puella viginti annos nata, variis laborat dubiis e quibus se extricare nescit: 1° promisit se coronam B. M. V. quotidie recitaturam esse, sed ignorat utrum verum votum aut merum propositum emiseric; 2° vovit quidem castitatem, quando prima vice ad sacram synaxim accessit, sed dubitat utrum sufficientem habuerit deliberationem, sive ob infimam ætatem, sive ob fervoris æstum, et quærit utrum favorabiles nuptias sibi oblatas acceptare possit? 3° jejunia vovit peragenda, sed nescit an sex vel octo voverit. Tres interrogat de hoc Confessarios. Prior respondet eam ad octo obligari; quia *pars tutior sequenda*. Alter ad septem, *pro rata dubii*. Tertius ad sex tantum, quia *pro minima parte standum est*.

HINC :

QUÆR. Quomodo dubia FAUSTINE solvenda sint?

## SOLUTIO :

43. — R. 1°. *In genere* FAUSTINA in his casibus agere nequit cum conscientia practice dubia, nisi tutiorem partem amplectatur. Sed, si perpenso diligenter dubio, eoque remanente, ex motivo gravi judicet non dari obligationem, quam ex alia parte adesse suspicatur, pro parte libertati faventi stare potest;

44. — R. 2°. *In particulari*, his præmissis :

*Ad* 1<sup>m</sup>. FAUSTINA non tenetur ad coronam B. V. sub peccato recitandam. In dubio enim pro minima obligatione stare licet. Nec præsumendum est eam voluisse se obligare, nisi veram et certam obligationis conscientiam habuerit. *V. Comp. n. 322, Quær. 4°.*

*Ad* 2<sup>m</sup>. Juxta *S. Lig. n. 176*, valet votum in dubio an emissum fuerit cum sufficienti deliberatione. Id sane admittendum est *per se*, quia posita voli emissionem præsumitur pro valore actus. Sed non videtur hæc doctrina absolute tenenda; potest enim fieri, in certis circumstantiis, ut requisita deliberatio non facile præsumi queat, imo ut præsumatur non adfuisse. In praxi suadendus est ad Episcopum recursus.

45. — *Ad* 3<sup>m</sup>. FAUSTINA sententiam tertii Confessarii tuta conscientia sequi potest, dubio diligenter discusso, seu dubio post serium examen remanente, quia adstringi nequit ad obligationem incertam, ut infra de probabilismo dicetur, et etiam ex jam dictis deducitur.

## CASUS IV.

## CONSCIENTIA DUBIA 2°.

*Disputatio juniorum theologorum.*

Tres juniores theologiæ candidati, scilicet, RUFUS, IVO et DONATUS, acerrime de conscientia dubia disputantes, singuli in singulas abeunt sententias, quæ sic breviter referri possunt : 1° RUFUS contendit nunquam licitum esse agere cum conscientia dubia, etiamsi dubium sit positivum, quia, ait, *conscientia certa est sola morum regula*; juxta verba Apostoli : *Omne quod non est ex fide peccatum est*; id est, omne quod non est ex conscientia certa, peccatum est. Quid enim sonat verbum *conscientia*, nisi *cognitio, scientia*? Hinc *S. Thom.* vocat conscientiam, *applicationem scientiæ*. Ibi autem scientia non est, ubi res in dubium adducitur. Ergo...

2° IVO dicit contra, minime requiri certitudinem de honestate actionis ad agendum, sed sufficere veram probabilitatem, aut saltem majorem probabilitatem. Etenim consentientibus communissime theologis, licet saltem facere id quod probabiliter vel probabilius non est illicitum. In hoc autem casu sic efformo judicium : hoc probabiliter vel probabilius non est prohibitum; ergo facere possum. Sed si certitudo requiratur, ab illo actu abstinere debeo, quia non possum esse certus quod Deus non prohibuerit. Insuper ad præcavendum periculum peccandi satis est si, præmissa diligentia morali, faciam id quod mihi videtur honestum. Sed etiamsi præmiserim illam diligentiam, non ero certus de actionis honestate : ergo certitudo non requiritur.

3° DONATUS vero sic distinguit : Non requiritur quidem in omni casu certitudo directa, seu efficiens ipsum objectum, ad licite agendum; sed requiritur et sufficit certitudo reflexa, quæ scilicet habetur vi judicii reflexi et practici sequenti modo efformata : omnibus hinc et inde consideratis, judico talem actum probabiliter vel probabilius esse licitum, et hoc ipso certe judico reflexe et practice hoc esse mihi licitum, quia id omne quod non est evidenter prohibitum certe licitum est. Dum autem DONATUS doctrinam suam vult evolvere, a sociis certatim interrumpitur, et in longum abit disputatio.

HINC :

QUÆR. *Cuinam e certantibus causa tribuenda sit?*

SOLUTIO :

46. — R. Causa tribuenda est ultimo contendenti, seu DONATO improbe a sociis interrupto, dum isti non adhuc satis poterant ad ejus rationes attendere. Si tantisper expectassent, lux ipsis affulgere potuisset. Quoties enim ardor disputandi et amor proprii judicii impedit quominus veritatem ab aliis prolatam agnoscamus!

Dico igitur tenendam esse quidem regulam hanc : *Conscientia certa est sola morum regula*, seu, *non licet agere cum conscientia practice dubia*. Verum, quamvis judicium reflexum conscientiæ debeat esse certum, non tamen requiritur ut judicium directum sit certum. Secus enim non esset licitum operari ex opinione probabilissima : quod damnavit *Alexander VIII*; nam opinio probabilissima non excedit fines probabilitatis. Proinde daretur obligatio tutius semper sequendi, quod damnatum est. Ergo minime requiritur certitudo directa de honestate objecti ad operandum, sed requiritur et sufficit certitudo, quæ per judicium reflexum obtinetur.

47. — Sed *objicit* IVO : Prudenter operatur ille qui agit juxta opinionem saltem probabiliozem, quin attendat ad ullum principium reflexum; agit enim ex motivo valde gravi, seclusa tamen certitudine. Ergo ille reponit dictamen ultimum conscientiæ in judicio suo directo. *Respondeo* : Licet ille dicat se operari ex judicio directo, tanquam dictamine ultimo, reipsa tamen innititur in alia ratione certiore et reflexa, quamvis reflexe ad eam non attendat. Ultimum enim dictamen practicum conscientiæ non potest esse nisi istud : *Non teneor obligatione in conflictu duplicis sententiæ, saltem probabilioze mihi favente, quia obligatio ista mihi est incognita; nec datur obligatio, nisi de ea vere constet*. *V. Lacroix, n. 47 et seq.*

## CASUS V.

## CONSCIENTIA SCRUPULOSA.

SAVINUS, scrupulosus, accedens ad confitendum, semper hæc iterare solet : « Pater, valde angor circa præteritas confessiones; non integre exposui omnia peccata, carui dolore requisito; vellem generaliter confiteri, quia quorundam peccatorum circumstantias et species non satis

prius novi nec accusavi. » Si Confessarius jubeat illum bono esse animo : « Pater, inquit, non me nosti qualis sim; habes me pro scrupuloso, qualis non sum; me non audis nec adjuvas; nescio aperire conscientiam meam. Dictat conscientia me versari in malo statu, nec possum contra eam operari..... »

Confessarius autem, ut finem imponat anxietatibus et querelis circa debitam peccatorum accusationem, ait : « Jam satis est. Cætera, quæcumque sint, omite; ab iis enim aperiendis te dispenso, nisi jurare possis te certo peccatum mortale non accusatum in conscientia adhuc habere. » His dictis, pœnitentem reluctantem, imo et invitum absolvit.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> *Quomodo generatim tractandi sint scrupulosi?*

2<sup>o</sup> *An confessarius recte egerit?*

3<sup>o</sup> *An Confessarius quandoque scrupulosum dispensare possit a perficienda confessione, seu impedire ne plura subjiciat, etiamsi forte possit confessio deficere ratione integritatis?*

SOLUTIO :

48. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs.* 1<sup>o</sup> Confessarius cum scrupuloso sit patiens, benignus et fortis; 2<sup>o</sup> cum imperio procedat, et absque hæsitacione interroganti respondeat; 3<sup>o</sup> non sinat repeti confessiones præteritas, et a fortiori confessionem generalem institui; 4<sup>o</sup> in hoc maxime instet Confessarius ut pœnitens ei obediat; quod si obedire recuset, eum objurget, et quantum potest duritiem ejus retundat. Cum scrupulosis obedientibus blande agendum est; cum iis autem qui in obedientia delinquant potius exercendus est rigor : « Hac enim anchora obedientiæ destituti, nunquam ipsi sanari possunt. » *S. Lig. n. 16.*

49. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs.* Arguendus non videtur SAVINUS; sed agendo fortiter, Confessarius caveat ne clementiæ obliviscatur. Regula hæc : *Nisi jurare possis..... etc.* utiliter præscribi potest. Aliquando tamen cum iis qui in via scrupulorum proveci sunt, nihil proderit nisi ad animum pœnitentis magis perturbandum, quia sibi videbuntur posse jurare. Si igitur Confessarius id animadvertat, praxim hanc mutabit.

50. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs. Affirmative,* quando scilicet scrupulosus ita est conscientia intricatus, ut medium istud moraliter necessarium Confessario videatur, ad bonum animæ pœnitentis. Obligatio enim confessionis tunc evadit moraliter impossibilis, et Confessarius id declarare potest hac formula : *Te dispenso,* id est, nolo ut aliud quidpiam subjicias; numquid Christus Dominus confessionem instituit, ut esset animarum carnificina? minime gentium. Confessarius igitur non proprie dispensat, sed declarat legem cessare. *S. Lig. n. 16.*

Cæterum rarissime occurrit casus in quo scrupulosus reapse a peccato mortali manifestando sic dispensaretur, cum plerumque id quod grave reputat, tale non sit, ut præsumendum est ex ordinariè contingentibus.

NOTANDA

*Circa objectiones scrupulosorum.*

51. — Hic non abs re quidem erit præcipuas scrupulosorum difficultates adnotare. Licet enim generatim non sit disputandum cum scrupulosis, juvat tamen scire quo modo eorum pertinacia quandoque retundi possit.

*Objicit* 1<sup>o</sup> scrupulosus contra prohibitionem a Confessario injunctam ne plura declaret : Pater, clamat conscientia me alia habere peccata declaranda. Conscientiæ meæ contradicere nequeo, nec ejus clamoribus obsistere, eamque suffocare. Nunquam enim fas est contra conscientiam operari.

*Responsio Confessarii* : Frustra times, fili, ne agas contra conscientiam. Ubi est conscientia tua? ubi est dictamen verum? Ego in te aliud deprehendere non possum nisi densissimas tenebras : lumen tuum extinctum est, et loco luminis rectæ rationis, erronea tua phantasia, vel etiam ipse *Lucifer, princeps tenebrarum,* suam tetram, caliginosam et fumosam lampadem accendit, et præit, eam deferendo. Tu vero, miser et cæcus, in hoc lumine confidis?

52. — *Objectio 2<sup>a</sup>* : Sed, Pater, si damnationem incurram, numquid a gehenna me liberabis? Nonne Deus præcipit confessionem peccatorum integram?

*Sic ad hæc Confessarius* : Audi, fili mi : falsum est te damnationis periculum incurrere, si Confessario obedientiam præstes. Ipse te eximere potest ab obligatione plura peccata declarandi, si forte existant, quando judicat id ad animæ tuæ bonum expedire; id est, declarare potest legem integritatis confessionis in tantis angustiis non urgere, teste *S. Lig.*, post multos alios. Cæterum non tuum est scire quid possit vel non possit Confessarius, sed tantum obedientiam ei præstare. Hac via certo consequeris animi pacem, quam per confessiones, etiam centies repetitas, nunquam reperies.

53. — *Objectio 3<sup>a</sup>* : Pater, hoc quidem admitterem si me cognosceres; sed me minime nosti : quomodo ergo tibi obtemperare possum? quomodo tu pro me coram Deo respondere vales, et in recta salutis via me dirigere, atque ab angustiis liberare?

*Responsio* : Siste, frater : quid est hoc quod effutis? scito et vide usquequo processerit obcæcatio tua? Tu reformidas periculum erroris et æternæ damnationis, si duci tuo spirituali obtemperes, qui, præter propriam experientiam et sapientiam, a Deo ad te dirigendum specialiter illuminatur; minime vero de propria opinacione diffidis? nullum reformidas errorem ex parte tui ipsius? ubi igitur est infallibilitas tua? numquid Deus te infallibilem constituit ad tui directionem, cum ne Papa quidem hujuscemodi gaudeat infallibilitate? Sane infallibilis evadere potes, sed ad hoc consequendum sola via superest, obedientia.

54. — *Objectio 4<sup>a</sup>* : Audio, Pater; sed nec Confessarius est infallibilis; quid igitur de me misero fiet, si forte erraverit?

*Responsio* : Confessarius revera non est infallibilis *materialiter* in sua dirigendi ratione, tu autem vera gaudebis infallibilitate, ei obsequendo, cum Christus dixerit Apostolis seu Sacerdotibus : *Qui vos audit, me audit*. Igitur, si forte materialiter dux tuus erraverit, error ille tibi minime imputari potest. Sed dic mihi, quæso, mi bone, quare adeo reformidas errorem ex parte Confessarii, et tam parum diffidis pertinaciæ judicii tui, et spiritui superbiæ ac tenebrarum quo replearis? Nescis quod *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*? Verum si gratia conceditur humilitati, humilitas in obedientia et animi subjectione sistit. Quis igitur *te fascinavit non obedire veritati*? Galat. 3, 1.

55. — *Objectio* 5<sup>a</sup> : Pater, minime diffido sapientiæ tuæ, sed mihi ipsi, qui conscientiam meam tibi patefacere nequeo, et ideo continuis anxietatibus detineor et crucior.

*Responsio* : Contemne, frater, hos animi tui angores et cruciatus; inanes et periculosas abjice curas. Hunc statum tuum patienter sustine, et Deus olim te sublevabit, nec quippiam detrimenti ex his animæ tuæ perplexitatibus et angoribus capies. Dic ex imo corde cum regio Psalmista : *In te, Domine, speravi; non confundar in æternum*. Ps. 30, 2.

## CASUS VI.

## DE PROBABILISMO 1°.

*Disputatio inter plures doctores.*

1° SEVERINUS, *probabiliorismi* patronus accerrimus, adversarios in unum demergit barathrum. Clamitat eos evidenti salutis discrimini se committere, opinionem minus tutam, seu minus aut æque probabilem sequendo, cum id quod probabilius malum est peragere præsumant, et proinde leges divinas formaliter violare non dubitent.

2° BENIGNUS, *æqui-probabilismi* defensor, ut *amantissimus æqui*, carpit SEVERINUM de nimio rigore, innixus hoc principio : *Lex dubia non obligat*, seu *non est imponenda obligatio nisi de ea certo constet*; sed probabilistis, utpote in benigniorem partem propendentibus, etiam adversatur.

3° HOMOBONUS, *probabilista*, jura libertatis propugnans, carpit tum SEVERINUM, tum BENIGNUM : primum quidem rationibus secundi, et secundum suis ipsiusmet rationibus, eum propriis armis confodiendo.

4° AUDIFACIUS vero, cujuslibet systematis osor, socios suos omnes carpit, dictitando eos vanas et chimericas disputationes agitare; statuit autem sensum communem sufficere ad varios casus solvendo, sicut ante exortas de his controversias plane sufficiebat.

HINC :

QUÆR. *Quid de singulis, seu quis carpendus?*

## SOLUTIO :

56. — R. 1° Carpendus SEVERINUS. Etenim qui alios sine justa causa carpit, jure merito carpendus est. Quare probabilistas in unum demergit barathrum? Nemini theologo fas est damnare quos Ecclesia non damnat, quosque major pars theologorum suo suffragio comprobavit. Sis pro te ipso, SEVERINE, severus et quidem severissimus, probabiliorista et rigorista; per me licet; imo et tibi suadeo. Ast caveas, quæso, ne proprias opinionationes, velut certissimas leges, aliis imponas. Unum a te scire velim. Dic mihi quare statuis esse licitum sequi opinionem probabilioris, relicta tutiore? Nonne sola conscientia certa est agendi regula? Sed non est certa tua conscientia contra quam militat solida probabilitas, ut in hypothesi habetur. Jam cogaris, volens, nolens, confugere ad principium *reflexum* probabilistarum, scilicet : *Lex dubia non obligat*, quia incerta et incognita est. Non exies inde, nisi, deposito etiam probabilismo, tutiorista evadere malis.

57. — 2° Carpendus BENIGNUS. Limites enim prudentiæ excedere videtur, acrius carpendo non solum probabilioristas, sed et ipsos probabilistas. Dum hinc et inde strenue dimicat, non attendit se ipsum propriis armis confodi. Idem enim datur principium *reflexum* tum pro æquiprobabilistis, tum pro probabilistis simpliciter, imo etiam probabilioristis, scilicet : *Non datur obligatio, nisi de ea certo constet*. Porro, si BENIGNUS probabilistas impugnando principium istud evertat, in quonam fundamento nitetur ipse? Quare enim aliquando fas esse potest agere contra legem probabiliter tantum existentem? Alia ratio dari nequit, nisi hæc eadem, quia *lex dubia incerta est, et lex incerta ut incognita habetur*. Atqui sive ambæ sententiæ sint æque probabiles, siva una aliam gradu aliquo probabilitatis superet, quoties opinio libertati favens remanet solido motivo innixa, semper verum est legem dubiam incertamque remanere.

58. — 3° Carpendus HOMOBONUS. Quare? Non quidem quoad doctrinam, libenter enim cum eo manus jungimus; sed tantum ex eo quod alios carpat. Caveat ne disputationis studio abreptus in lege caritatis deficiat. Ejus autem doctrina minime carpenda est, licet in praxi id quod tutius est communiter suadendum sit. V. *Comp. n. 60 et seq.*

59. — 4° Carpendus AUDIFACIUS, et quidem imprimis. Non videtur enim temeritatis notam effugere qui, respuendo opiniones tamdiu in scholis agitatae, systemata omnia destruens ac penitus subvertens, nullum solidum et clarum ædificat. In tribus expositis sententiis veritas consistere debet, cum tutiorismus et laxismus fuerit damnatus. In istis tantum datur medium. Perdifficile est hac in re aliquid novi et solidi excogitare. Sufficit, ait AUDIFACIUS, sensus communis! Sed numquid sensus communis quæstiones adeo intricatas et controversiis refertas dissolvat? Quis igitur est iste sensus communis? Est sane quid chimericum hoc pro praxi statuere.

60. — *Conclusio*. Nemo carpendus quoad doctrinam, excepto ultimo opinante seu AUDIFACIO. Non igitur carpendus SEVERINUS, modo opi-